



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Sect. III. Vtrùm unus actus voluntatis imperare poßit alium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

VI. Quo modo imaginatio subditur voluntati.

Cur imaginatio sepe non obediat voluntati.

Quod de appetitu diximus, idem dici debet de imaginatione, nempe licet in plurimis ejus actibus subdit voluntati, sepe nihilominus, vel propter indispositionem corporis, vel objecti improprietatem, ad quod ob suam imperfectionem, ac debilitatem, & summam objecti sublimitatem, assurgere non potest, voluntati non obedit. Sic, quantumvis imperet voluntas, non potest imaginatio Angelum, aut rem aliam spirituales repræsentare. Frequenter etiam passione aliqua vehementer abrepta, voluntate nequicquam reclamante, transversa fertur, nec nisi ægrè tandem ejus imperio reducitur ad officium.

SECTIO SECUNDA.

An, & ad quos actus voluntas movere possit intellectum.

I. Omnes intellectus a seipso imperare nequit voluntati.

AD intellectum denique quod atinet, licet ut jam ostendam, plurimi ejus actus voluntatis imperio subdant, ad omnem tamen intellectus operationem movere eum non potest: cum namque voluntas, non nisi per actum aliquem suum moveat, seu imperet, & omnem actum voluntatis præcedere necessariò debeat actus intellectus, certum est voluntatem hunc actum imperare non posse. Prima itaque cogitatio, in omni negotio, ut rectè S. Thomas, pendere nequit à voluntate, cum apprehensionem, saltem aliquam præcedere necesse sit, quæ excitet voluntatem, quippe quæ, cæca cum sit, nisi facem præferente intellectu, operari non potest, alioquin ferretur in incognitum.

Prima cogitatio non cadit sub imperium voluntatis.

II. Omnis apprehensio simplex non est in potestate voluntatis.

Prima itaque omnium apprehensio non est in potestate voluntatis, naturaliter siquidem, imò necessariò sequitur ad operationes sensuum; quod enim videt quis, quod audit, quod alio quocumque sensu percipit, non potest non apprehendere per intellectum. Est tamen in potestate voluntatis, ut primam apprehensionem interdum mutet, & aliam illius loco substituat, ut ostendit in Logica, Disp. sexta, sect. secunda, ubi propter hoc dixi simplicem apprehensionem spectare ad logicam, & esse illius regulis dirigibilem, quod latius ibi est explicatum. Et in hoc magis subditur voluntati apprehensio, quam actus sensuum; in sensibus namque efficere nequit voluntas, ut actus mutant, ut scilicet oculus hoc numero actu visionis relicto, alium ei sufficiat, & sic de reliquis.

Magis subest voluntati apprehensio, quam operationes sensuum.

III. Majus multo est voluntatis imperium, quam in aliis potentias.

Quoad assensum verò, seu actum judicii, multo magis subest intellectus imperio voluntatis. Unde quantumvis, si objectum per apprehensionem propositum clarum sit, & evidens, cohibere intellectum voluntas nequeat, quo minus prodeat in actum, & veritati illi assensum præbeat, ut dixi Disp. 47. Log. sect. 8. num. 4. ubi tamen veritas proposita non est clara & evidens, efficere arbitrari potest voluntas, ut intellectus, vel unam partem amplectatur, vel alteram, imò ut abjecta interdum opinione probabiliori, minus probabiliter adhæreat, in rebus præsertim practicis, sicque voluntatis potest utriusque partem propelli. Aliquando etiam, ubi veritas est clara & evidens, licet ab omni assensu, ut dictum est, cohibere nequeat voluntas intellectum, efficere nihilominus potest, ut actus mutet, & concessis præmissis, nunc directam conclusionem inferat, nunc indirectam, ut in Logica ostendi Disp. illa 6. sect. 2. n. 3. Quæ omnia clarissime declarat S. Th. hic, q. 9. & 17.

Efficere frequenter potest voluntas, ut intellectus mutet assensum.

Quod si quis detum inquirat, quo pacto voluntas facultates reliquias ad agendum applicet: imprimis non id facit per physicum influxum, efficienter scilicet cum iis ad earum operationes concurrente, ut volunt recentiores aliqui apud Vasquez hic, Disp. 34. cap. tertio, singula enim potentia virtutem sufficientem in se habent; unde superfluum foret hujuscemodi concursus voluntatis. Aliis ergo dicendi modis omissis, dicendum voluntatem cæteras potentias movere eo ipso quod vult ut agant, ex quo imperio voluntatis fit, ut omni alio influxu secluso operentur, ob naturalem scilicet sympathiam, & potestatem quam in ipsas habet voluntas, summamque ipsarum cum eâ connexionem, & in eadem animâ radicationem. Ad quam rem apposuit S. Augustinus libro octavo Confessionum cap. 9. *Voluntas, inquit, in tantum imperat, in quantum vult, &c.*

IV.

Modus quo voluntas, facultates cæteras ad agendum applicat.

Voluntas in aliarum potentiarum actus physice non influunt.

SECTIO TERTIA.

Verum unus actus voluntatis imperare possit alium.

PRIMA sententia affirmat non posse voluntatem per unum actum suum imperare sibi alium efficaciter, sed ineffaciter tantum; per actum quippe imperantem avertit sublatum libertatem: ita Lorea in appendice, Disp. 45. & alii ut latius dicetur numero tertio & quarto.

Existimo nihilominus posse voluntatem per unum actum imperare sibi alium efficaciter, imò & actum imperatum esse subinde perfectiorem imperante: sic non solum ex affectu charitatis potest quis imperare actum humilitatis, vel temperantia, sed ex affectu misericordie erga proximum potest sibi imperare actum religionis, vel charitatis. Nec in hoc peculiaris esse videtur difficultas, si rectè intelligantur termini: unum quippe actum imperare alium, nihil est aliud, quam efficaciter ad illum determinare; hoc autem non videtur dubium quin præstare possit voluntas, posito enim quod efficaciter velit actum aliquem voluntatis, vult eum absolute elicere, ergo elicit; ipso facto namque quod eum non eliciat, si sit in illius potestate, liberè omittit, ergo vult eum efficaciter, & non vult, quæ sunt contradictoria.

I. Negam alii qui possunt voluntati imperare alium.

II. Potest voluntas per unum actum imperare sibi alium.

Quid sit unum actum imperare alium.

Vasquez hic, d. 51. cap. 5. Coninck Disp. 3. de actibus dub. 10. & alii nonnulli opinantur, non posse voluntatem imperare sibi actum voluntatis efficaciter, & immediatè, sed ad summum ineffaciter & mediatè, movendo scilicet intellectum ad indagandas rationes, quibus moveatur voluntas ad volendum objectum; seu ad talem vel talem actum eliciendum.

III. Opinatio negat posse voluntatem imperare sibi actum immediatè.

Ratio eorum est: sequeretur enim, inquit, actum imperatum non esse liberum, cum stante actu imperante, eo modo quo nos cum ponimus, non possit actus imperatus non sequi: hoc autem videtur inconveniens; sic enim quis actus imperatus alicujus virtutis amitteret suam honestatem, cum amittat libertatem. Imò ulterius, inquit, sequitur imperantem sibi actum contritionis, vel amoris Dei super omnia ex affectu beatitudinis & justificationis, reddere se ipso facto impotentem ad ejusmodi actum debitè eliciendum, actus enim amoris vel contritionis necessarius, non sufficit ad justificationem, sed solus liber.

IV. Ratio auctoritatis hujus sententia est, quia putant sublatum sibi libertatem.

V.  
Varius modis  
actus aliquis  
dici potest  
liber.

VI.  
Quamvis  
posito actu  
imperante,  
non potest  
non sequi  
actus aliquis  
imperatus,  
non tamen  
est necessa-  
rium ut hic  
numero a-  
ctus ponat-  
ur, sed alius  
valde di-  
versus.

Actus impe-  
ratus potest  
etiam esse  
meritorius.

VII.  
Hac ratione  
Christi ad  
moriendum  
liberius sus-  
ficiens suis  
ad meritum.

Libertus  
physica &  
moralis.

VIII.  
Si actus im-  
perans, om-  
nes omnino  
circumstan-  
tias deter-  
minaret,  
actus impe-  
ratus non  
esset liber.

IX.  
Si solum ve-  
lit actus im-  
perans im-  
peratum im-  
determinatè  
quoad tem-  
pus, potest  
hic esse liber.

Idem est de  
efficace in-  
tentione fi-  
ni.

Ad solutionem notandum variis modis posse actum imperatum esse liberum: primum extrinsecè seu denominativè & participativè ab actu imperante: hoc ergo modo actus imperatus voluntatis est liber, id enim nihil aliud est, quam hunc actum sequi ad determinationem alterius actus qui est liber, quo etiam modo actus intellectus inò actus etiam externi, ad internum voluntatis actum secuti, sunt denominativè liberi.

Secundò actus aliquis imperatus est liber, quando licet (ut hic contingit) non sit liberum voluntati,posito actu imperante, de actu amoris v. g. eliciendo, non eum elicere, potest tamen hic actus in particulari esse liber, quatenus scilicet, quantumvis ponatur actus imperans, potest voluntas non solum hunc numero actum præ alio simili elicere, sed etiam valde diversum secundum intensiorem, objecta diversa, & alias huiusmodi circumstantias: actus namque imperans amorem Dei, solum tendit in genere, sicque quocunque amore posito, satis sit illius imperio, cum non solum multi sint actus amoris possibiles, sed etiam inter se diversissimi. Unde poterit actus amoris imperatus non tantum esse liber, sed meritorius, licet, stante actu imperante non possit non sequi aliquis actus amoris pro instanti vel tempore, quo est imperium.

Hoc modo in tractatu de Incarnatione dixi Christi libertatem sufficienter ad meritum salvari, cum hac ratione non solum in ipsius potestate fuerit mori hac vel illà horâ, in hac vel illà cruce, quod sufficit ad libertatem purè physicam, sed liber erat ad moriendum per talia vel talia tormenta, graviora scilicet vel minus gravia, in loco obscuro vel celebri, unde major oriretur mortis ignominia, ex hoc vel illo motivo, & alia huiusmodi, quæ dici solet libertas in genere moris: licet ut ibidem dixi, secundum hunc modum procedendi non fuerit liber Christus ad non moriendum simpliciter; circumstantiæ tamen proximè posite multum faciunt ad æstimationem moralem, & consequenter abundè sufficiunt ad meritum.

Si tamen omnes omnino mortis circumstantiæ fuissent determinatæ, non fuisset liber Christus secundum hunc modum libertatem ejus defendendi, nec morali libertate nec physicâ. Quod idem hic contingeret in actu imperato respectu imperantis, nec aliâ ratione esset in hoc casu actus ille liber pro tempore quo illum sic intendit actus imperans, quam extrinsecè, modo supra explicato num. 5. Imò ulterius addidi tractatu illo de Incarnatione, probabile esse potuisse Christum hic in viâ mereri per actus amoris Dei beatificos, seu ortos ex visione beatâ, cum licet non potuerit non amare Deum, in ipsius tamen potestate esset, diversos & inæquales actus amoris circa illum elicere.

Dixi, pro tempore quo actus imperans vult illum actum elici; si enim solum eum imperet indeterminate quoad tempus seu pro aliquo instanti intra tale tempus, non obstante actu imperante est liber actus imperatus elicitus quocunque instanti illius durationis, excepto ultimo. Quod idem est de intentione efficaci finis respectu electionis mediæ, etiam unici, si intentio non sit determinata pro certo instanti, sed tantum pro tempore aliquo indeterminate; tunc enim electio, etiam talis mediæ, est libera quovis instanti illius temporis, excepto ultimo, si eodumque electionem quis differat. Et per hæc patet ad objectionem supra factam.

Dicunt aliqui, actum imperatum amoris, in circumstantiâ actus amorem imperantis, non solum esse liberum quoad circumstantias, sed etiam quoad substantiam, ita ut simpliciter possit tunc voluntas omnino non amare, non inquant, est in potestate voluntatis tollere vel impedire ne ponatur imperium.

Sed contra: hoc enim non sufficit ut possit quis immediate non elicere actum amoris, seu non amare, sed tantum mediatè, tollendo scilicet, vel impediendo causam ad amorem necessitantem, qua stante non sequi amor non potest. Unde in hoc casu solum est libera voluntas ad non amandum mediatè, immediate autem & simpliciter necessitata. Qui plura de actu imperante & imperato videre cupit, adeat P. Oviedo, qui hic Contro. nonâ fulsime hac de re disputat.

SECTIO QUARTA.

An actus internus imperatus bonitatem, aut malitiam sumat ab imperante.

Hi itaque positis, existimo cum S. Thoma hic q. 18. art. 4. & q. 19. art. 2. ad primum Cajet. q. 18. art. 6. & Thomistis communiter, Salas, Tannero & aliis, posse actum internum imperatum desumere bonitatem vel malitiam ab actu imperante. Ratio est, quia actus externus imperatus redditur honestus vel inhonestus ab actu interno, à quo imperatur; ergo & actus internus, cum non minus per eum dirigatur ad finem actus imperantis, quam externus. Nec refert actum internum imperatum habere aliquam libertatem distinctam ab actu imperante, quam non habet externus; cum enim hoc non impediat, quo minus ordinetur ad finem actus imperantis, non etiam impediet, quo minus ab eodem hauriat bonitatem illius finis, licet hoc habeat supra actum externum, quod ob libertatem quam continet, & peculiarem modum tendendi proprium, superaddere ulterius possit bonitatem suam, ut eum ex actu amoris Dei imperante elicit quis actum misericordiz.

Dices cum Vasquez, qui Disp. 51. cap. 4. contrarium tenet, hinc sequi, actum non naturalem tantum, sed etiam in entitate supernaturalem posse vitari, & reddi malum: quidni enim habens quis principia omnia ad actum supernaturalem eliciendum requisita poterit eum per actum ex fine vel circumstantiâ malum imperare, quod si fiat, actus secundum nos erit malus, ergo & actus supernaturalis dilectionis Dei esse potest malus, saltem venialiter, ut si quis cum vel indebito tempore elicere vellet, aut cum nocumento valetudinis &c.

Respondent aliqui, actum illum dilectionis fore quidem venialiter malum, non tamen supernaturalem; sicut enim, inquit, habitus fidei non concurrat ad actum falsum, ita nec habitus charitatis ad actum malum; charitas enim non agit perperam. Quod etiam suo modo de aliis similiter virtutibus infusus dici potest.

Secundò tamen Respondeo, actum etiam supernaturalem virtutum infusarum (saltem si actum dilectionis Dei excipias) vitari posse. Hæc videtur mens Sancti Augustini expressè affirmantis homines ex vanis interdum motibus fieri Christianos, & ratio

X.  
Etiam si-  
te actu im-  
perante vo-  
luntas ali-  
quid in-  
tentionem  
liberum.

XI.  
Quamvis  
per se illi  
imperans,  
actus impe-  
ratus est  
liberum  
mediatè.

I.  
Actus inter-  
nus imperatus  
potest boni-  
tatem vel  
malitiam  
desumere ab  
actu imperante.

Actus tamen  
hic imperatus,  
ob liber-  
tatem quam  
in se habet,  
superaddit  
aliam boni-  
tatem, sui  
propriam.

II.  
Obicit, hinc  
sequi posse  
actum super-  
naturalem,  
imò etiam  
actum amo-  
ris Dei veni-  
aliter, & red-  
di malum,  
saltem veni-  
aliter.

III.  
Dicunt non-  
nulli actum  
illum amari  
Dei non fore  
supernaturalem.

IV.  
Nil valet  
quod modo  
actus super-  
naturales  
virtutum  
infusarum  
vitari pos-  
sunt.